AD

EXAMINA PUBLICA

IN

GYMNASIO GUELPHERBYTANO

DIEBUS XXV. XXVI. MARTII INSTITUENDA

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

J. W. L. JEEP,
GYMNASII DIRECTOR.

INSUNT

I. EMENDATIONES VELLEIANAE.
II. ANNALES GYMNASII.

GUELPHERBYTI. MDCCCXXXIX.

Corrigenda: p. 2. l. 23. leg. uberiores. p. 6. l. 25. quantum. p. 12. l. 19. neque. p. 13. l. 21. superscr. l. 22. eum. p. 14. l. 6. quo. p. 15. l. 5. eiecerunt.

Quum Velleji fragmenta historiarum a Jo. Casp. Orellio recens edita perlegerem, duplicem laetitiam cepi, quod elegantis sane scriptoris codicem et praeter exspectationem inventum et ita publici juris factum esse videbam, ut pro suo quisque ingenio facillime eo uti posset. Orellius enim Basileae, in qua urbe ob aliud negotium versabatur, Velleji librum reperit a Bo. Amerbachio a. MDXVI scriptum, *chartaceum, forma maxima, admodum legibilem, optime conservatum.* Quem accuratius inspexit, cum editione principe contulit, typis describendum curavit. Nec sane quidquam optabilius contingere poterat Vellejo, cujus ante Amerbachianum inventum ne unus quidem extabat liber manuscriptus. Res autem sic se habet. Beatus Rhenanus, Selestadiensis, circiter a. MDXV in Murbacensi bibliotheca codicem Vellejanum invenit ita depravatum, ut omnia restituere humani ingenii esse desperaret, Vellejumque, nisi meliore codice invento, in lucem edere nollet. At doctissimi quique multum flagitabant, ne tam insignem scriptorem diutius retineret, convicia simul addentes. Quo permotus Vellejum, sive ex ipso codice Murbacensi, sive *exemplar ab amico quodam descriptum* secutus, a. MDXX Basileae typis Frobenianis exprimendum curavit. Librum recens excusum, necdum evulgatum Jo. Albertus Burerius totum cum codice Murbacensi contulit, deprehensisque quibusdam vitiis et erratis suas ei *emendationes e codice vetusto* addidit. Postea, incertum quo tempore quove casu, codex Murbacensis intercidit. Quo deperdito judicium, quid in Velleji fragmentis genuinum suppo-

situmve sit, valde ambiguum factum est, quoniam a sola Rhenani et Burerii diligentia atque fide pendebat. Permultis locis dubitabatur, non solum quid a Vellejo profectum, sed quid in codice Murbacensi scriptum esset. Nihil igitur in Vellejo emendando occupatis optatius cadere poterat, quam ut, quae codicis collatio ab Amerbachio instituta erat, publici juris fieret. Quae enim commoda Orellius inde ad Vellejum redundasse dicit, e locis vitiatis alios exhiberi emendatos et suppletos, alios ita comparatos, ut vera lectio ultro prodeat, egregias VV. DD. conjecturas esse firmatas, tacitas Rhenani interpolationes detectas, haec commoda tanta sunt tamque manifesta, ut affirmanti facile credas, crisin Vellejanam Amerbachiani exemplaris ope aliquanto solidius fundamentum esse nactam.

Accedit, quod Orellius rem suam sic egit, ut praeter lectionem Rhenani, Burerii, aliorum Amerbachianam, servatis etiam erratis, integram enotaret, et quid sibi videretur ex vestigiis codicis eruendum, in inferiore margine significaret, et conjecturas VV. DD. memoratu dignas superadderet. Ita effecit, ut quicunque periclitaturus est, si quid ingenio valeat ad Vellejum emendandum, is certo fundamento nisus suis oculis cernere et dijudicare possit, quid in rem esse censeat. Quo quantopere hominum studia sint excitata et adjuta, non est quod dicam. Id facile inde colligi potest, quod post Orellianam editionem intra breve tempus plures curam suam in Vellejo posuerunt, quam ante eam longa annorum serie. *) Idque non sine fructu. Nam, ut omittam ea, quae Orellius ipse promovit, vix quisquam post eum Vellejum attigit, quin uni alterive loco lucem affuderit. Atque haud scio, an uberiores etiam fructus opera eorum latura sit, qui Velleji editiones maturare dicuntur. A Kritzio certe, qua est sermonis Latini rerumque veterum peritia, susceptam provinciam egregie administratum iri pro certo habeo. Haec si mecum reputo, facile adducor, ut credam scriptori male habito melius consuli non posse, quam

*) * C. Vellei Paterculi quae supersunt. Ex cod. Amerbach. expresssit Jo. Casp. Orellius. Lipsiae. 1835. — * Loci Vellejani. Tractavit Laurent. Altonae 1836. — C. F. Halm emendationes Vellejanae. Monach 1836. — * C. Vellej. Pat. recogn. Jo. Theoph. Kreyssig. Misen. 1836. — * Schoepfer adnott. critt. Quedlinb. 1837. — * Vellej. Pat. historr. libri II emendav. Fr. Henr. Bothe. Turici. 1837. Adde censuras, quas VV. DD. * Jahn, Kritz, * Halm, * Haase de his libris in actis litterariis fecere. Quibus ex his de Vellejo scriptis mihi concessum erat uti, ea asterisco notavi.

si codex, qui ceterorum fons est, aut bonitate scripturae aliave re insignis, quantum potest accuratissime typis exscribatur; quo illi quoque, quibus ipsum codicem inspicere non est concessum, ex vestigiis ejus sibi ante oculos positis verum ac genuinum indagere possint. Ita plurium viribus studiisque in unum collatis facilius effectum dabitur, id quod editionibus, quae singulae nihil fere proprii habent, temere multiplicandis non potest effici, ut aliquando tandem scriptori male sano integritas sermonis restituatur. Cum magno igitur bonarum litterarum commodo, nec minori multorum voluptate futurum esse spero, si, qua Orellius praeivit via, alii eum sequantur, ipseque, quod olim promisit, codicis, quem dicunt Petri Danielis, (Q. Curtii Rufi historr. libros continet) accuratam quasi imaginem adumbrare velit. Sed veniendum est, quo volo. Legi Vellejum ab Orellio recens editum, lectumque saepius retractavi. Inter legendum, ut fit, pluribus locis desperatis aut dubiis, nisi id ipsum, quod Vellejus scripsit, at quod eum scripsisse verisimile sit, conjectura assecutus esse mihi visus sum. Jam ex his, scribendi opportunitate oblata, ad usum eorum, qui novam scriptoris editionem curant, nonnulla depromam. Quorum num quis usus sit, ipsi viderint. Equidem, si, quae mihi in opinionem venerunt, intelligentibus et aequis existimatoribus non prorsus displicuerint, magnopere laetabor.

II, 16, 3. *Cujus illi pietati plenam P. R. gratiam rettulit.* A. *cujus ille p.* P. *) Accidit mihi de genuina hujus loci scriptura cogitanti, quod saepenumero in tollendis librorum mendis occupato accidere solet, ut ob tam multa tamque aspera remedia, ab aliis allata, mihi ipse diffiderem. Quoniam enim rationem, in quam incideram, planam esse cernebam et simpliciorem, quam ut quemquam effugeret, verebar, ne quid haberet ejusmodi, quod impedivisset, quominus ab aliis iniretur. Nolui tamen idcirco retinere eam atque supprimere. Una addita littera *cujus illi pietutis plenam P. R. gratiam rettulit* non esse puto, quod ad integritatem loci desideres. Certe non audiendi sunt, qui enuntiationes sese excipientes ab eodem verbo *cujus* duci, et in idem *rettulit* conjici debere negant, Nisi forte, quod sexcentis aliis locis factum est, hoc loco fieri non potest. cf. Vellej. 1, 11, 3. — I, 9, 14. II, 1. 1. 18, 6. 22, 2. 35, 3. 37, 5. 39, 3. 100, 5. 116, 4. His exemplis, quibus plura addere

*) A. = cod. Amerbach. P. = editio princeps B. = Burerius.

poteram, effici videtur, Vellejum in talibus verborum repetitionibus incuriae quasi diligentem id affectasse, quod non ingratam indicaret negligentiam. Neque magis me movet, quod Vellejus insolentiore verborum structura *alicui gratiam referre alicujus rei*, quam vulgari *a. g. r. pro aliqua re* uti maluit. cf. Liv. XXXIX. 13, 4. *qui optimi — meriti talem retulisset gratiam.*

II, 17, 1. *Finito — Italico bello, quo quidem Romani victis adflictisque ipsi exarmati quam integris universis civitatem dare maluerunt* cett. A. P. B. Heinsius pro *integris* scripsit *integri*, ut *exarmati* et *integri* opponerentur. Qua correctione quum oppositio, quae erat inter *victis afflictisque* et *integris* tolleretur, Ruhnkenius *quam integri integris universis* reponi jussit. Id vero Orellio ingratius sonare videtur, quam ut ferri possit. Reduxit igitur Heinsii scripturam, in eaque acquievit Kreyssigius. Nec mihi Ruhnkenii conjectura ab omni parte probatur. Quam enim ad praecedentia oppositionem inferre voluit, eam leniori, quam quo usus est, remedio effici manifestum est, si pro *integris universis* scribitur *integri non eversis* cf. II, 115, 4, *cum paene funditus eversi forent.* II, 50, 1. *ita ut appareret, malle integris rebus — finire bellum, quam opprimere fugientes.* Eandem sententiam Vellejo Bothium conjectura sua *ineversis* vindicasse, nunc demum video.

II, 25, 4. *posuit victoriam, qua demendesmontem ti fata cum C. Norbano concurrerat Sulla gratis Dianae, cujus nomini regio illa sacrata est, solvit.* A. P. B. Editor Basiliensis corruptam hanc codicis scripturam primus ita refinxit, ut certam haberet sententiam. Scripsit enim *post victoriam, qua descendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat.* Quam lectionem licet plerique aut reciperent aut leviter tantum submutarent, sunt tamen in ea offendicula nonnulla. Primum enim verbi *descendere* cum accusativo constructi non est certum exemplum. Neque magis verba *post victoriam, qua — concurrerat*, quae Orellius cum Baitero pro *post proelium secundum, quo concurrerat* accipi volunt, ullius scriptoris auctoritate defenduntur. Vid. Ruhnk. ad h. l. Utramque offensionem vitamus, si in locum vitiatorum reponimus *post victoriam, quod emensus montem Tifata* cett. cf. Liv. XXXVIII, 17. *Paeoniam inde et Thraciam pugnando cum ferocissimis gentibus emensi has terras ceperunt.*

II, 27, 1. *At Pontius Telesinus, dux Samnitium, vir animi bellique fortissimus.* A. P. B. *Animi* cum *bellique* parum congruere, et *domi* ad *bellique* requiri vidit Rhenanus. De *domi bellique* cf. Beier ad Cic. de off.

II, **15**, **16**. Quod vero *animi* ejiciendum eique *domi* substituendum censet, non approbo ejus sententiam. Propius ad veritatem accessurum puto eum, qui scripserit *animi domi bellique fortissimus* cf. Zumpt Gr. §. **437** a. **1**. Saepius enim librarii in Velleji fragmentis ab una syllaba ad alteram similiter cadentem ita aberrarunt, ut interjectas aliquot inter utramque litteras plane omitterent. Sic Halmius II, **45**, **5**. pro *cujus integritatem laudari nefas est* conjectura satis probabili, quae mihi quoque se obtulit, Vellejo *c. i. laude fraudari* restituit. Addo alios locos. II, **37**, **2** *rex* (Mithridates) — *Armeniam Tigranemque socer generum petit* scripserim pro *socerum petit*; II, **75**, **3**. *fugiens Caesaris armatas manus* pro *f. C. arma nus*; II, **129**, **1**. *interemptorem fratris sui filii consortemque ejusdem imperii in forum Romam evocavit* pro *imperii formam evocavit*.

II, **31**, **1**. *Convertebat Cn. Pompei persona totum in se orbem terrarum et per omnia majore vi habebatur.* A. B. P. Editor Bipontinus, qui hunc locum sibi de vitio suspectum esse negat, *major vis* h. l. idem declarare opinatur, quod Graece *θεῶν βία*, vim divinam, cui nemo resistere queat. Quam opinionem, quod sciam, nemini persuasit. Scripturam vitiatam esse non ambigunt, id tantum quaerunt, quomodo emendetur. Qua de re licet magna dissensio sit, Jacobsii tamen conjectura, qui *per omnia major mortali habebatur* a Vellejo scriptum esse perhibet, multis hodie probatur. Haec tamen, praeterquam quod longius a veteris scripturae ductu recedit, sententiam non satis aptam continere videtur. Nam, ut concedam, Pompejum, qui finito demum Mithridatico bello *suoque et civium voto major et per omnia fortunam hominis egressus esse* dicitur (II, **40**, **1**), bello adversus piratas nondum suscepto *per omnia majorem mortali haberi* posse, hoc tamen loco, quo ostenditur, qua de causa optimates dissuaserint Gabinii legem, id agitur, ut Pompejus, *nimius jam liberae reipublicae* (II, **32**, **1**), ut *major cive* notetur. Id igitur ipsum *major cive* Vellejo pro *majore vi* restituendum esse censeo. Est in libera civitate *civilis dignitatis modus* (II, **7**, **1**), qui ne excederetur, praesertim a cive, qui sibi parem habere nollet (II, **29**, **3**. **4**. **33**, **3**), magnopere erat cavendum. Quem quum Pompejus lege Gabinia et Manilia perlata devictisque omnibus, quos adierat, gentibus excessisse putaretur, eo gratior *civilis* ejus *reditus* fuit, quo magis timuerant, ne non sine exercitu in urbem veniret, et libertatis publicae statueret arbitrio suo modum. (II, **40**, **2**. **3**.) Antonio contra, qui testa-

mento Cleopatrae liberos inter heredes nuncupavit, exprobratur, quod *a civili more degeneraverit.* Sueton. Oct. c. 17.

II, 36, 2. *Auctoresque carminum Varronem ac Lucretium neque ullo in suspecti operis sui carmine minorem Catullum.* A. P. B. Dici vix potest, quam in diversas sententias de hoc loco emendando interpretandove discesserint. Pro *carmine* ab aliis aliud substituitur; *sui* nonnulli damnant atque ejiciunt; *suspecti* aut cum *suscepti* permutant, aut vario modo interpretantur. Alii enim suspectum de maledicentia, alii admirandum Catulli opus significari putant. Mihi quidem, ut dicam, quid sentiam, plena atque perfecta Catulli laus a Velleji ratione aeque ac moribus aliena esse videtur. Quid enim? assiduus Juliae domus adulator eum ab omni parte laudaret poetam, *cujus carmina referta erant contumeliis Caesarum?* Tacit. ann. IV, 34. Suet. Caes. 75. Res sane difficilis ad credendum. Multo est verisimilius et ad Velleji personam accommodatius, eum, quod sine ulla Tiberii offensione fieri poterat, Catulli carmina ita laudasse, ut iamborum acerbitatem notaret. Ejusmodi vero sententiam huic loco lenissima mutatione vindicabit, qui mecum scripserit *neque ullo ni suspecti operis sui crimine minorem Catullum. Carmen* et *crimen* saepe commutari a librariis docet Drakenb. ad Liv. I, 26, 6. Verbis vero *suspectum opus* iambum denotari apertum est. Sic apud Horat. sat. I, 4, 65 *suspectum genus scribendi* de satira. Jambum a Romanis non celebratum esse ut proprium *opus*, ejus tamen acerbitatem in Catullo reperiri testatur Quinctil. X, 1, 96. Idem ex Graecis iamborum scriptoribus unum profert Archilochum. Tantam in hoc ait esse virtutem poeticam, ut videatur quibusdam, *quod quoquam minor est, materiae esse, non ingenii vitium* X, 1, 60. Quae verba quantum ad opinionem nostram de Velleji loco probandam adjuvent, facile intelligitur.

II, 40, 3. *Longeque majorem omni ante se illata pecunia in aerarium, praeter quam a Paulo, ex manubiis intulit.* A. P. B. Verba *praeter quam a Paulo* corrupta esse inde apparet, quod neque ceterorum verborum structurae congruunt, et pecunia, quam Pompejus in aerarium intulit, a Paullo illatam altera fere parte vicit cf. Lips. ad h. l. Dubito tamen iis accedere, qui haec verba tanquam insiticia inducenda esse censent. Nam quum *manubiae* proprie pecuniam ex praeda vendita redactam denotent, membro, quod a *praeter* incipit, ingentem illam pecuniam, quam Pompejus ex thesauris Mithridatis hausit, (cf. Freinsh. supplem. Liv. LXVII, 6. 72. LXVIII, 45.) significatam

esse existimo. Magis de verbis laboro, quibus Vellejum usum esse dicam. Fortasse scripsit *praeter quam a Ponto, ex manubiis intulit.* Nihil tamen affirmo, ut in re parum explorata. Id addidisse satis habeo, lectionem a me prolatam facile in vitiatam abire potuisse, sive ob similem litterarum ductum, sive per librarium male sedulum, qui meminisset, nec sustineret reticere, Paullum, quum de Perseo rege triumpharet, tantam pecuniae vim in aerarium invexisse, ut finem attulerit tributorum cf. Vellej. II, 9, 6. Cic. de offic. II, 22, 76. ib. Beier.

II, 41, 1. *Hic nobilissima Juliorum genitus familia, et quod inter omnes antiquissimos constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus.* A. P. B. Quamquam Acidalii conjectura *et, quod inter omnes constat, antiquissima* omnes fere editiones occupavit et ipsum Ruhnkenium nacta est suffragatorem, assentior tamen Orellio, qui eam haud nimis certam putat cum propter duplicem immutationem, tum maxime propter transpositionem. Non ita locus corruptus videtur, ut tam acri opus sit remedio. Scribendum esse censeo *et quos inter omnes antiquissimos constabat* seqq. Caesar enim, haec est sententia, nobilissima Juliorum genitus familia, hanc ab iis, quos inter omnes constabat antiquissimos esse, ab Anchise et Venere deducebat. cf. Tacit. ann. II, 60. *quem indigenae ortum apud se et antiquissimum perhibent.* Horat. carm. IV, 15, 31.

II, 45, 4. *Idem P. Clodius in senatu sub honorificentissimo ministerii titulo M. Catonem a rep. relegavit.* A. P. B. Clodius simulac tribunus plebis creatus est, Catoni significavit, se rogaturum, ut ei, omnium Romanorum integerrimo, bellum contra Ptolemaeum, Cypri regem, mandaretur gerendum. Quod negotium quum Cato videret sibi imponi, non quo ornaretur, sed ne Clodii conata praesens impediret, gratum id sibi fore negavit. Tum Clodius ad populum progressus, invito senatu, cui de provinciis praetorum et de legationibus decernendi jus erat, legem tulit, ut Ptolemaei bona publicarentur, et Cyprus in provinciae formam redigeretur, eique rei Cato praeficeretur. Plut. Cat. min. c. 34. Ernest. ind. legg. p. 12. Inde sequitur, quae apud Vellejum leguntur, *in senatu* genuina esse non posse, sed his contrariam requiri sententiam, quoniam res, de qua senatus decernendi habebat potestatem, coram populo erat transacta. In ea igitur sum opinione, ut scribendum esse putem *Idem P. Clodius sine senatu — M. Catonem a rep. relegavit.* cf. Thucyd. I, 128 ἄνευ λακεδαιμονίων. Duk. ad Thucyd. IV, 78. Vellej. II, 62, 2. *pro-*

vinciae, quas jam ipsi sine ullo senatus consulto occupaverant. II, 62, 3. *sine auctoritate publica provincias occuparunt.* Cic. in Vatin. *quis legatos unquam audivit sine senatus consulto?*

II, 47, 2. *Septimo ferme anno Caesar morabatur in Gallis, cum medium jam ex invidia Ponti et Camiliae cohaerentis inter Cn. Pompejum et C. Caesarem concordiae pignus Julia uxor Magni decessit.* A. *Ponti ac Camiliae* P. Ex variis, quibus apertum scripturae mendum tollerent, variorum conjectis Lipsii illud *ex invidia male cohaerentis* multos invenit assensores. Quo quamvis ipsi Ruhnkenio nihil pulchrius esse videatur, nihil quod sensum magis perspicuum reddat, non tamen arbitror sic scripsisse Vellejum. Primum enim loci ab editoribus allati me movent, quibus Romana pax, dum Julia vivit, *optime cohaesisse* dicitur. Senec. cons. ad Polyb. c. 34. Valer. Max. IV, 6, 5. Lucan. I, 111 seqq. Flor. IV, 11. Tum vero male me habet, verba *invidia potentiae* h. l. prorsus alia ratione accipi, quam paulo ante II, 44, 2, tametsi utrobique de eadem societate sermo est. Denique conjectura ista a ductu litterarum, quae in libro scripto sunt, longius recedere videtur, quam in loco desperato magis, quam perdito licitum esse existimem. Quid multa? Vellejum scripsisse puto, *cum medium jam ex invidia Ponticae militiae cohaerentis inter Cn. Pompejum et C. Caesarem concordiae pignus, Julia — decessit.* Sententia, quae hisce efficitur, concordiam inter Pompejum et Caesarem inde ex eo tempore, quo Pompejus Ponticae militiae gloria invidiam contraxerat, affinitatis vinculo constrictam cohaesisse, optime iis convenit, quae supra de Pompejo narrata sunt. Oppresso enim Mithridate, victor omnium, quos adierat gentium, incidit in invidentiam optimatium. Restiterunt, ne acta ejus in transmarinis provinciis servarentur (II, 40, 1. 2. 5). Tum ille, graviter ferens, aliquid a se factum infirmari, cum Caesare consule societatem iniit, cujus quasi pignus Juliam, Caesaris filiam, in matrimonium duxit (II, 44, 2. 3). De verbis *Pontica militia* cf. II, 120, 1. *Cimbrica et Teutonica militia.* De *invidia militiae* II, 34, 2. *invidia Pompeji.* II, 47, 4. *invidia facti.* Cic. Brut. c. 27, §. 103. *ex invidia foederis Numantini.* de orat. I, 40, 181.

II, 52, 4. *ut primum C. Caesar inclinatam vidit Pompejanorum aciem, neque prius neque antiquius quicquam habuit, quam in omnes partes, ut militari et verbo et consuetudine utar, dimitteret.* A. P. B. Verba *ut militari et verbo et consuetudine utar* aperte mendosa sunt, quoniam, quo se Vellejus uti dicit, militare verbum non extat. Neque si extaret, eo oratio

sana esset atque integra. Quid enim *militaris consuetudo* ad Vellejum? Quae quum in eum cadat, qui rem gerit, non qui gestam describit, Caesar aut ab eo dimissi relinquuntur soli, ad quos verba ista spectare possint. Si ad dimissos ab eo referenda esse censerem, Vellejum sic fere scripsisse dicerem *neque — antiquius quicquam habuit*, *quam in omnes partes*, *ut m. e. v. e. c. uterentur*, *dimittere*. De vi et structura verbi *dimittere* cf. Duk. ad Liv. XXIX, 37, 5. Quod vero, quo militari verbo et consuetudine Caesar dimissos uti voluerit, diserte non additum est, id Romanos, opinor, male habere non poterat, qui probe scirent, victorem, ut caedem inhiberet, *poni arma et parci inermi* jussisse. Liv. VI, 3, 8. 10, 5, praesertim quum aliae quoque ejusmodi loquendi formulae non definirentur pressius. cf. Liv. V, 19, 4. *in eos — militari more animadvertit*. Caes. B. G. I, 66, 1. III, 75, 2. Sed omitto haec: mihi enim verisimilius est *militare verbum et consuetudinem* ad Caesarem ipsum pertinere, Vellejumque scripsisse *neque — antiquius quicquam habuit*, *q. i. o. p. uti militari e. v. e. c.*, *ut arma dimitterent*. Sic II, 85, 4. 5. Octavianus, quos ferro interimere poterat, verbis mulcere cupivit; illi vero aegre submissis armis cessere. cf. Hirt. de B. Afric. c. 85. *desperata salute in quodam colle consistunt*, *atque armis demissis salutationem more militari faciunt*. De structura verborum *neque — antiquius quicquam habuit*, *quam — uti* cf. Hirt. B. Alex. 36, 2. *nec sibi quicquam fore antiquius*, *quam dignitatem populi Romani recuperare*.

II, 65, 2. *tur inita potentiae societas*. A. P. B. Syllabae non suo in loco positae et ita digerendae esse videntur, ut scribatur *initur ita p. s.* cf. I, 17, 4. *uisquis* pro *quisquis*, II, 114, 1. *genitio* pro *negotio*. Laurent loci Vellejani p. 79.

II, 68, 1. *dum in acie Pharsalica Africaque de summa rerum Caesar dimicat*. A. P. B. M. Coelius Rufus praetor, promulgata tabularum novarum lege a republica remotus et societate cum Milone inita circa proelii Pharsalici tempora a Caesaris equitibus prope Thurios interfectus est. cf. Caes. B. G. III, c. 20—22. Certum igitur mihi *Africaque* a Vellejo non esse profectum. Neque in Lipsii conjectura *in acie Pharsalica circaque* acquiescendum esse puto. Quam tantum abest ut cum Ruhnkenio veram dixerim, ut Orellio assentiar, cui nimium quantum languet. Accedit, quod scripturae vitio leniorem medicinam adhiberi posse puto. Quod enim multis aliis locis accidit, ut litterae, quae non debebant conjungi, a librariis conjungerentur, id, si quid video, hoc

loco factum est. Scripsit Vellejus, *in acie Pharsalica acri eaque de summa rerum.* cf. II, 52, 3. 69, 6. *acri atque prosperrimo bello.* Librarii vero *acri eaque* in unum contraxere, contractumque, ne prorsus ineptum esset, quod scriberent, in *Africaque* mutaverunt.

II, 74, 2. *Quippe L. Antonius — modo apud veteranos criminatus Caesarem, modo eos, qui juste divisione praediorum — agros amiserant, ad arma conciens, magnum exercitum conflaverat.* A. P. B. Nemo est, quin *juste* corruptum habeat. Neque contra ob assentationem, qua Caesarum gratiam captabat, virisimile est, Vellejum istam divisionem agrorum, quod placuit Lipsio, tanquam *injuste* factam notasse. Quod vero Heinsius conjecit *jussa,* Ruhnkenio dignius videtur poeta, quam prosae orationis scriptore. Ruhnkenii suspicio *instituta* languet Orellio; Orellius ipse Walchium *juxta* scribentem refutat, quid lateat se ignorare confitetur. Vides litem adhuc sub judice esse. Mihi quidem Vellejus non eos solum, qui agros, sed quicunque conditionem aliquam ex jure ortam per Octavianum amiserant, veteranis agro donatis opposuisse et scripsisse videtur *qui jus et divisione praediorum — agros amiserant.* cf. II, 3, 3. *jus vi obrutum.*

II, 84, 3. *nam de illius exemplis vitae naxuta Dolabella ad Caesarem* seqq. A. P. B. In tollendo hujus loci vitio Lipsius aeque ingeniosum ac felicem se praestitit. Nam quum vidisset ex Senecae verbis suasor. 1 *bellissimam tamen rem Deillius dixit, quem Messala Corvinus desultorem bellorum civilium vocat, quia a Dolabella ad Cassium transiturus, salutem sibi pactus est, si Dolabellam occidisset; et a Cassio deinde transivit ad Antonium; novissime ab Antonio transfugit ad Caesarem,* quae apud Vellejum vitiose leguntur, corrigenda esse litteris librariorum culpa male distractis apte conjungendis, scripsit *nam Deillius exempli sui tenax.* Qua conjectura ut saniorem certioremque non novi, ita vereor, ut iis, quae pro *ut a Dollabella ad Caesarem* conjecit, genuinam Vellejo lectionem restituerit. Neque ipsum sibi satis confisum esse inde apparet, quod arbitrio nostro permittit, utrum *ut a Dolabella ad Cassium* an *fuit et illo bello* malimus. Insequentis vero temporis critici id solum egerunt, ut praeclare a Lipsio inchoata perficerent plane. E quibus Ruhnkenius verba *ad Caesarem,* quae Lipsius mutanda censuerat, non corrupta esse, sed manifestae lacunae indicium praebere ratus, hanc ita expletam voluit, ut ex Senecae loco supra allato scriberetur *ut a Dolabella ad Cassium, a Cassio ad Antonium, ita ab Antonio transiit ad*

Caesarem. Quo supplemento plerisque probato verissime expressit Velleji sententiam, verba non aeque. Difficile enim est ad credendum, tot verba, quorum nec vola, nec vestigium extet, excidisse conjecturaque esse inferenda, quum praesertim res, quae agitur, nullo fere negotio transigi possit. Ea enim sententia, quam Ruhnkenius suo jure desiderat, efficitur jam, si *ut a Dolabella* mutatis in *usque a D.* totus locus sic constituitur: *Rex Amyntas meliora et utiliora secutus — nam Deillius exempli sui tenax usque a Dolabella ad Caesarem — virque clarissimus Cn. Domitius, qui solus Antoniarum partium nunquam reginam nisi nomine salutavit, maximo et praecipiti periculo transmisit ad Caesarem.* His enim significatur, Deillium, quum semel Dolabellam prodiderit, deinde ita sui fuisse similem, ut ab alio semper ad alium, postremo ad Caesarem transfugeret. Apparet igitur hunc *bellorum civilium* quasi *desultorem* a Vellejo opponi Amyntae et Cn. Domitio; quorum alter in Caesaris partes transiit, quod meliora sequebatur, alter summo periculo pressus, Deillius vero, quoniam natura perfidus erat atque proditor. Ejusmodi exceptionibus inservire *nam* particulam satis notum cf. I, 14, 1. 18, 3. II, 8, 2. 9, 2. 71, 2. 97, 3. De *usque a — ad* cf. Plaut. Amphitr. I, 1, 97. *ab usque mane ad vesperam.* Cic. Brut. 96, 328. *ille a Crasso consule et Scaevola usque ad Paullum et Marcellum consules floruit.*

II, 107, 1. *cum citeriorem ripam — occupassemus et ulterior armata hostium juventute fulgeret, sub omnem motumque nostrarum navium protinus refugientium unus e barbaris — conscendit alveum* A. P. B. Qui hunc locum attigerunt, substantivum, quod cum *motum* conveniat, aut post *omnem* excidisse censent, aut in *omnem* latere. Neque desunt, qui *que* particulam inducendam et *omnem* ad *motum* pertinere putent. Sententia est, barbaros classe Romanorum territos refugisse. Terrorem iis classis incutere poterat cum ipso motu, tum magnitudine et multitudine navium. Sic II, 84, 2. Octaviani naves magnitudine modica, neque celeritati adversa fuisse dicuntur, Antonii contra specie terribiliores. cf. Caes. B. G. IV, 25, 1. *naves longas, quarum et species erat barbaris inusitatior et motus ad usum expeditior.* Adducor igitur, ut credam Vellejum scripsisse *sub molem motumque nostrarum navium,* ut significaret Germanos refugisse, sub objectum Romanarum navium magna mole sese moventium. Sic II, 78, 1. *momentis* A. P. pro *molimentis.*

II, 110, 5. *plerisque etiam litterarum usus et familiaris animorum*

erat exercitatio. A. P. B. Quamquam h. l. nulla scripturae diversitas est, Lipsii tamen judicium comprobo, qui in verbis *et familiaris animorum erat exercitatio* aliquid inesse putat, quod molestum sit; rationem vero, qua id, in quo offendit, removere studet, non item. Vocem *familiaris* suspectam habeo, quod non significat id, quod desideratur. Debebat enim addi, ad quam rem Pannoniorum animi essent exercitati. Quae cujusmodi sit, ex proxime antecedentibus colligi posse puto. Nam quum de artibus belli atque pacis sermo sit, *usus* vero *litterarum* ad pacem pertineat, verisimile est *animorum exercitationem* de belli artibus accipiendam esse, Vellejumque scripsisse *et jam militaris animorum erat exercitatio.* De re cf. II, 29, 5. *ingenium singulari rerum militarium prudentia excoluerat* I, 13, 3. *aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit* Liv. XXXV, 28, 1. De ductu litterarum cf. II, 102, 1. ubi A. P. *jam avulgavit* pro *fama vulgavit.*

II, 112, 3. *Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut ubicunque Caesar esset, nihil in se reponerent.* A. P. B. Verba *ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium* plerisque interpretum male sana esse videntur. Neque immerito. Licet enim loquendi ratio *vis et arma satis placebant* (Tacit hist. IV, 23. Duk. ad Tac. Germ. c. 11) usitatissima sit, tamen *ita fiducia virium* neque per se sola possunt intelligi. neque cum antecedenti *placebat* recte conjungi. Omnia vero satis bene procedunt, si scribitur *ita placebat barbaris numerus suus, insita fiducia virium.* Sic enim haec oritur sententia, barbaros, quamvis magnam virium fiduciam animis insitam haberent (cf. II, 113, 1), tamen ibi tantum, ubi Caesar abesset, numerum suum probasse, nihil contra in se reposuisse, ubicunque adesset. Quae sententia optime cum iis congruit, quae sequuntur. Exercitus enim ea pars, quae ipsi Caesari opposita erat, non ausa congredi munitione se defendisse satis habebat, quae vero Caecinae et Silvano Plautio, obviam se effudit Romanis iisque paene exitiabilem cladem intulit. Litterae additae *ins* a praecedenti *us* facile absorberi poterant. De particulis *ita — ut*, quae sententiam restringunt, cf. Vellej. II, 1, 3. 20, 2. 56, 4. 93, 2.

II, 117, 1. *velut in hoc saltem tantummodo indulgente nobis fortuna, ne occupato ducem et causa persona moram exigit A. P. B.* Verba *saltem tantummodo* mendi suspicionem movent, quod idem fere significant, et quae sequuntur *ne occupato duce* certiores etiam corruptelae notas prae se ferunt. Proinde alius aliam quaesivere medicinam, qua vitium tollerent. Quo-

niam vero singulis verbis aut mutatis aut deletis non assequebantur id, ut Vellejo aptam vindicarent sententiam, plerique aliquot verba excidisse eaque conjectura restituenda esse sibi persuaserunt. In quo plus sibi sumsisse videntur, quam vel per miseram loçi conditionem excusari potest. Nam quum series sententiarum haec sit, funestum cladis Varianae nuntium sub ipsum belli Dalmatici finem allatum esse, quasi rebus tam afflictis fortuna ducem saltem non invideret Romanis, Vellejo satisfactum puto lectione *velut in hoc saltem tanto incommodo indulgente nobis fortuna necopinato ducem.* Tiberium dicit, qui tantum quod ultimam Pannonico bello imposuerat manum. cf. II, **103**, **1**. *sed fortuna, quae subduxerat spem magni nominis, jam tum reipublicae sua praesidia reddiderat. Incommodum* vero de clade in saltu Teutoburgico accepta intelligendum cf. Caes. B. G. I, **13**, **4**. V, **53**, **4**. B. C. II, **4**, **1**. III, 10, **4**. **73**, **5**. **74**, **2**. Hirt. B. Alex. **40**, **5**. **42**, **1**. Restat, ut quid de reliquis verbis *et causa persona morum exigit* sentiamus, paucis addamus. Quibus quum a Tiberii ad Vari personam transitus paretur, in *causa* vocabulum latere videtur, quo Varus significetur. Quare si *sed caesi* pro *et causa* scribendum esse dico, haud vereor, ne a sententia Velleji longius aberraverim. Vid. paulo ante *caesi Vari* et quae edit. Bipont. ad. h. l. adnotavit.

II, **119**, **2**. *cum ne pugnandi quidem egredie aut occasionis, in quantum voluerant, data esset immunis, castigatis etiam quibusdam gravi poena, qui* cett. B. *egregie* P. *egredie* sine lineola, supercr. *d.* litterae *g.* A. — Hic locus, si quis alius, tam anceps et lubricus est, ut qui eum attigerit, magnopere vereri debeat, ne in eo labatur. Quod multis jam accidit. Dubitanter igitur et sine ulla affirmatione in medium profero, quae mihi venerunt in opinionem. Vellejum scripsisse puto *cum ne pugnandi quidem legere diem aut occasionem iis, in quantum voluerant, datum esset immunibus, castigatis etiam* cett. Loquendi ratio *legere diem aut occasionem* non morabitur eum, qui Tacit. Agric. c. **22**. *non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse* comparaverit cum Ovid. A. Am. **1**, **357**. *illa legat tempus, quo facilis dominae mens sit et apta capi.* Verbis *in quantum voluerant* Vellejus ipse alio loco (II, **120**, **3**) usus est. Denique ad *datum esset immunibus* ex sequentibus *poena* subaudiendum. cf. Ov. metam. VIII, **690**. *vobis immunibus hujus mali esse dabitur.* Vellej. II, **35**, **2**. **120**, **3**. Ac ne quis credat, *non immunes poena* et *castigati poena* re unum sonare, ita differunt, ut quae poena

illis, ni pareant, denuntiatur, ea hi affecti esse dicantur cf. II, 121, 1. *cum — dissensiones coercitione magis quam poena mollisset.* Ut vero h. l. *immunis* scriptum est pro *immunibus*, sic paulo post *paludis* pro *paludibus*.

II, 120, 2. *arma interfecti, quae arguisse pater et patria contenti erant* A. P. B. Hic locus, qui satis firmam corruptionis suspicionem habet, tot tamque discrepantes VV. DD. opiniones excitavit, ut nisi his lenius, quo difficultas expediretur, remedium reperisse mihi viderer, non afferrem novum. Ingeniosa sane illa, quam paene omnes receperunt, Ruhnkenii conjectura est *arma infert genti, quam arcuisse pater et patria contenti erant.* At, quod pace tanti viri dixerim, sententiam Vellejo obtrudit, quae vix vera videatur, nedum apta. Quid enim post cladem Varianam ad Germanos finibus imperii arcendos factum est, nisi per Tiberium? »Augustus excubias per urbem indixit, praesidibus provinciarum propagavit imperium, vovit ludos Jovi Opt. Max., per continuos menses, barba capilloque submisso, caput interdum foribus illisit, vociferans Quinctili Vare, legiones redde:« (Suet. Octav. 23) Germanos vero Tiberio permisit arcendos puniendosque. Non igitur Augustus et Tiberius recte ita opponuntur, ut hic infestasse Germanos, ille arcuisse eos dicatur. Quos quum Vellejus per oppositionem aliquam sibi proposuisset separandos, verisimile est, eum pro rerum ordine atque conditione hanc fere sententiam expressisse, ab Augusto gravem ignominiam cladem que Varo militibusque Romanis vitio esse datam, a Tiberio damnum quantum fieri poterat maxime esse reparatum. cf. II, 104, 2. Eamque sententiam ex verbis corruptis, quae habemus in codice, levissima mutatione elici posse puto. Scribo *arma inde refecit, quae arguisse pater et patria contenti erant.* Ex hac lectione quum Tiberius, quod damnum ignominiamque ex clade Variana acceptam deleverit, exercituique Romano animi robur pristinumque splendorem restituerit, laudibus efferatur, Vellejana optime cum Taciti verbis conveniunt, qui bellum adversus Germanos gestum esse affirmat, *abolendae magis infamiae ob amissum cum Quinctilio Varo exercitum, quam cupidine proferendi imperii, aut dignum ob praemium* Annal. I, 3. De loquendi ratione *arma reficere* cf. Curt. IX, 10, 23. *arma quoque ad pristinum refecta sunt cultum* cum Virg. Aen. XI, 731. *reficit in proelia pulsos* Liv. XXI, 53. Corn. Nep. Ages. VII, 1.

II, 121, 1. *Eadem virtus et fortuna subsequenti tempore ingressa ani-*

mam imperatoris Tiberii fuit, quae initio fuerat. A. B. Rhenanus pro *animam* scripsit *animum.* Quod licet non improbasset Ruhnkenius, paulo durius tamen *fortuna ingressa animum* dictum esse sensisset, censor Gottingensis *ingressa animum,* ut quae ferri non possent, damnare non dubitavit. Ejus judicium secuti alii ejecerunt verba de mendo suspecta, alii ea corrigere studuerunt. Huth pro *ingressa animam* scribendum esse conjecit *in Germania,* Orellius *ingressi Germaniam.* Quae suspicio quamvis primo aspicienti arrideat, habet tamen, quo arguatur. Nam quum ea, quae subinde narrantur, non ad Germanos solos pertineant, et tempus, quo acciderint, satis jam indicatum sit verbis *subsequenti tempore,* causa non est, cur addatur *ingressi Germaniam.* Desideratur contra accuratior rerum, de quibus agitur, significatio, cujusmodi fuerint, num leves, an graves. Hanc verbis insuper Vellejo usitatissimis expressam habebis, si nulla fere mutatione scripseris *eadem virtus et fortuna subsequenti tempore inque re sane immani imperatoris Tiberii fuit* cf. II, 46, 1. cum deinde *immanes res* — C. Caesar in Gallia ageret. 69, 6. Cassius Rhodum, *rem immanis operis,* ceperat. 88, 3. *immane novi belli civilis* restinxit initium. 105, 3. *immanis — victoria.* 2, 1. *immanis — dissensio.* Praeterea *immanis* vox est, in qua saepius turbas dedisse librarios testatur edit. Bipont. ad II, 105, 1. *q.* littera, quae in codice pro *que* inveniri solet, cf. I, 17, 5. facile in *g.* mutari poterat.

II, 130, 3. *quid hic meruit, primum ut scelerata Drusus Libo iniret consilia? deinde ut Silium Pisonemque tam alterius dignitatem constituit, auxit alterius. Ut ad majora transcendam, quamquam et haec ille dixit* (scr. *duxit*) *maxima, quid ut juvenes amitteret filios.* Sententia hujus loci satis aperta est. Refert Vellejus ea, quae Augusto dolenda et erubescenda acciderint. Inter dolenda numerat cum scelerata consilia et Drusi Libonis et Silii Pisonisque, tum imprimis praematuram filiorum mortem. At de verbis, quibus hanc sententiam expresserit, controversia est. Mihi praeterquam quod *ut Silium — taceam — et ad majora transcendam* scribendum esse censeo, alia, quam qua utuntur, interpunctione opus esse videtur. Verba sic distinguo: *quid meruit, primum ut s. D. L. i. consilia, deinde ut S. Pisonemque taceam (alterius — auxit alterius), et ad m. transcendam, q. e. h. i. d. maxima, quid u. j. a. filios?* Interjectionibus, qualis *alterius — auxit alterius*

Vellejus frequenter utitur cf. II, **3**, **1**. De verbis *ut taceam* cf. Liv. XXV, **6**. *ut alias clades taceam*. *Et* et *ut* saepissime commutantur 1, **10**, **3**. II, **29**, **5**. **45**, **3**. Bothium idem fere remedium vitio tollendo adhibuisse vidi demum, quum haec dudum scripseram; qui tamen nescio, an aliquanto durius *sileam* ex *Silium* desumto *quorum* pro *tam* scripserit. At non pugnabo, quominus, utrum velis, eligas: alterutrum necesse esse pro certo habeo.

Jahresbericht
über
die Herzogliche große Schule.

